

fontes de sua praesentia numquam Ecclesiae subtrahenda, ut veritatis iter in doctrinis, aequitatisque, ac sobrietatis in moribus semper teneat, ad Montanum usque duraverint.

LXXXIII. Multus haud dubie effem, si caeteras hujusmodi Traditiones vel paucis illustrare pergerem. At quoniam neque id postulari suscepti Operis ratio, nec aliqui defuerunt, qui eam rem totam optime pertractarint, his in praesens supersedebo; ac duo breviter attingam, ad facta pie credita, ad institutum nempe nostrum, ad commodiora. Apostoli Joannis Martyrium perquam celebre, deque eo jamdum Ecclesiam diem Tertullianus agere, ignorat nemo. Petat jam aliquis, undenam id habeamus? aut quibus monumentis id comprobemus? Re sedulo, atque accurate perpensa, Facti hujus unum solum Testem, & illum quidem Fidei desertorem, inveniemus, nempe Tertullianum [a]. Nam *Historia Ecclesiastica*, quas Hieronymus innuit [b], si quae olim fuerunt, hoc referentes, nunc sane nullae exstant: quin ipse Sanctus Doctor alibi non meminit, nisi solius Tertulliani, inquit, *Refert autem Tertullianus* &c. [c] Ambrosius vero nihil de hac rei scribit explicite, atque discrete, ait enim: *Tam sortis fuit, ut perfectionem non timeret, malum vinceret* [d]: Quae quidem verba non plus afferunt, quam quod ipse Joannes de sua propter fidem tribulatione scripsit in Apocalypsi; ubi de *Dolio*, vel *solio ferventis olei*, nulla mentio [e].

LXXXIV. Postremo nec Origenes rei hujus occupes, atque apertus est testis: sic enim ait: *Imperator Romanorum, sicut docet Traditio, condemnavit Joannem, dantem testimonium verbi Dei, in insulam Patmos: sicut ipse de suo Martyrio docet, non dicens quis eum condemnavit, sed ubi fuit condemnatus* [f]: ubi Traditionis quidem meminit, rem plenius explicantis, quam Joannes Apocalypsis; at illud tamen, de quo quaerimus, tacuit. Quid jam igitur? An factum adeo illustre, in Ecclesiae factis adscriptum, atque omnium sermone celebratum, ad fabulas amandabimus, propterea quod uno Scriptore, & eo quidem minus Catholico, innixum comperimus? Ita quidem oporteret, si novorum quorundam Criticorum Canones admitterentur: Verumtamen id minime audent Fleuryus, ac Tillemontius. Nimirum, exploratum ducimus, Traditionem hanc non a Tertulliano coepisse, sed ab ea potius ipsum accepisse, quod scripsit. Profecto quod Roma hoc Joannis Martyrio pie credit, ac monstrat, a Tertulliano non habet.

LXXXV. D. Petrus Gentilium furori, immo vero Fratrum precibus, tantisper cedens, Roma se subducebat. Fit obviam Christus: atque Apostolo interroganti, *Quo veniret?* Respondit; *Venio iterum crucifigi*. Ex Antiquis, qui rem hanc discrete narret, unus solus invenitur Ambrosius [g]; Nam si requiras priorum temporum monumenta, nihil colliges, nisi vel ex Apocryphis, vel corruptis: cuiusmodi, exempli causa, sunt Acta Martyrii D. Petri, Lino attributa, Acta D. Pauli &c. At non propterea de Facti hujus factis celebris veritate dubitat Tillemontius; quin ipsum admittit remotis controversis. Et quidem immerito de Facto antiquissimo, per tot temporum varietates, nemine contradicente, ad nos usque perlato, nunc demum his, & contentio excitaretur, iccirco quod mo-

numenta nobis nota, Ambrosio vetustiora, levia sint, ac suspecta. Cunctis quippe (praeterquam Fleuryo, & fortasse paucis aliis) persuasum est, Virum gravissimum id hausisse ex documentis optimis, atque ex ipsa constanti Traditione.

LXXXVI. Sed modum huic dissertationi jam faciamus: redibit enim, & quidem crebro, de his rebus occasio differendi. Ex his porro veluti regulis, si minus certissimis, at longe tamen verosimilioribus, quid iudicari prudenter possit de plerisque piis Traditionibus, ab nostro Auctore rejectis, aequo Disceptatori non difficulter occurret. Neque enim Factorum horum antiquae voces, aliquando inanitates convictae, inter vetustatis silentia obtulerunt: quin novis in dies comprobatoribus auctae, ac roboratae, jamdum mentes Fidelium occuparunt. Quamobrem qui specioso Critice obtentu, Facta haec vel omnino fabulosa, vel etiam dubia efficere nititur, is profecto expulso historiari potius, quam earumdem expolitor habendus est: & qui eadem audacia cunctis Narrationibus, antiquis, ac recentibus, & dubitationum nebulas offundere poterit, ambigendi argumenta, quae nunquam calumniant deerunt, undique colligendo. Atque hujusmodi plane fuit Criticus ille, quem Vossius in *Observationibus adversus Simoniam* narrat sibi constanter affirmasse, facile sibi fore invictis argumentis conficere, *Quidquid circa Gallorum veterum Bella in Caesaris Commentariis scribitur, esse suppositum; seque Caesarem ultra Alpes non pertransisse, egregie demonstrare*.

LXXXVII. At enim Scriptori gravis, ac pius, ventum illum, quem Caeciam vocant, haud imitabitur, de quo ferunt, ita flare, ut nubes ad sese congregat: quin alios potius, ab se illas abigentes, emulabitur [h]. Animadvertit Cicero hanc levitatem, seu verius animi malignitatem in Stoicis, in quos propterea invecus est gravi illa reprehensione: *Vos quoniam perspicuis dubia debeatibus illustrare, dubiis perspicuis conamini tollere* [i]. Faciunt hoc ipsum plerique Recentes, qui cum piis Ecclesiae Traditionibus pro virili parte adesse debent, nebulas omnes dissipando, quas illis offundit hostium livor, ac mala Fides; contra quidquid caliginis, umbræ, nubium ex genere omni monumentorum confari potest, avidè colligunt, ut illas involvant, obturbent, atque fieri potest, evertant. Pauca haec de tota re univ. versum in praesenti digessimus sufficiat.

DISSERTATIO II.

An dubia, atque incerta sint nomina Genitorum Deiparae Joachim, & Anna.

I. Plurium factorum pie creditorum fundamentis, ut sua quidem fert opinio, uno ictu convulsis, illis jam Auctori vim, & manus singularim inferre incipit. Ergo eadem Exercitatione sic rem adgreditur: *Dubia in primis, incertaeque sunt, quae vulgo feruntur nomina Genitorum Deiparae Virginis Joachimus, & Anna* [k]. At non ita videtur illis, qui in Ecclesiae consensionem, ejusque Traditiones animo sunt æquiore. Quin quum per-

perspectum satis habeant, ab antiqua hac Ecclesiae pia Fide nequaquam discedere auctos fuisse plerisque, caeteroque vel acerrimos traditionum hostes, Brentium, Osiandrum, Bullingerum [a], aliaque damnata nomina; mirari satis non possunt, hominem catholicum, ad omnem pietatem egregia suae Sodalitatis institutione formatum, ad eam vel funditus evertendam, vel certe offusis dubitationum nebulis exagitandam, coram progredi potuisse.

II. Sane Montacutus, Scriptor haereticus, disertim ait: commendatum nobis *Traditione vetustissima, nec rejicienda*, B. Virginis Patri nomen fuisse Joachim [b]. Quin etiam addit: *Negari non debet, neque potest, sine temeritatis nota, licet sine periculo factis, ipsius Parentes Joachim, & Anna vocatos* [c]. Et infra: *Beatissimam certe Virginem Parentibus editam Joachimo, & Anna, vetusta est, & recepta Ecclesiae Traditio: Huic repugnare, temerarium est; oblatrare, impudentiae [d]. Cui plane subscribens Vossius, Haec, inquit, tam Orientalium, quam Occidentalium Ecclesiarum consensu firmantur* [e]. Atque haec homines heterodoxi; quibus oportere, modeliores, atque consideratores nonnullos effici, qui vel eximie catholici haberi volunt. Sed quibus tandem monumentis noster Auctor instructus, rem adeo celebrem, ac statam, in controversiam vocat? Profecto quae ipsamet, ut lenissime dicam, si Ecclesiae Traditionum paulo studiosior extitisset, nullo negotio exhibuisset. Quamquam aliquum exploratum est, Nodos facilius neci, quam solvi.

III. Hieronymus, inquit, *Deiparae Patrem nominis Cleopham existimavit lib. contra Helvidium, cap. 7. ubi quum Mariam Cleophae Deiparae Virginis Sororem fructu sensu dixisset [dixit autem & alibi saepe] illam vicissim Mariam Cleophae dictam ait, non a Marito, cui nomen erat Alphae, sed a Patre. Uriusque itaque Pater, Hieronymo quidem iudice, Cleophas erat, non Joachimus. Quod idem affirmat Maldonatus ad versum 46. cap. 12. Matthaei: rectene hoc in capite senserint, non expendo: Illud tamen haud dubie colligo, nullam fuisse tunc certam in Ecclesia Traditionem, qua Deiparae Patrem faceret Joachimum.*

IV. Principio ut nulla tum fuerit certa Traditio, quae Joachimum Deiparae Patrem faceret; non recte tamen inde colligit Auctor, restandam esse nunc quoque plenam de hac re Christianorum consensionem, nec inter Ecclesiae Traditiones habendam. Nam neque Hieronymi aetate, nec multis post ipsum annis, in Ecclesia certa Traditio fuit, qua Virgo etiam corpore assumpta crederetur; verumtamen hoc pie, ac religiose tenendum, nec nisi ingenti temeritate negari hodie posse [f], Auctoris censura est. Tanta vero temeritatis iccirco reus is foret, qui Virginem etiam corpore assumptam hodie negaret, quia Ecclesiae consensio, pieque crediturati, ac summorum virorum (mediae utique, ac posterioris aetatis) testimonio refragaretur [g]. Quidam igitur non minoris temeritatis [quod pace Auctoris dictum volo] coarguendus is est, qui Deiparae Parentum nomina vel disertim negat, vel ad incertum revocat, quum jamdum illa sacra veritate Ecclesiae consensio, ac pia Fides, tradantque Patres non mediae solum, ac postremae, verum etiam superioris aetatis?.

V. Porro si Auctor hanc suam ratiocinationem accuratius digessimus, omnino se non recte colligere facillime perspexisset. Neque enim perinde est, hanc, vel aliam Ecclesiae Traditionem Serry Tom. III.

(a) Apud Petrum Canis. lib. 1. cap. 4. (b) Appar. 8. num. 25. (c) Ibid. n. 26. (d) Ibid. n. 54. (e) Dissert. de genere Christi cap. 4. n. 4. (f) Exercit. 67. in 1. (g) Ibid. n. 3. (h) Praefat. in Proverb. Salom. (i) Cap. 14. (j) Vindictarum Ciani cap. 5.

ad hujus, vel illius Sacri Scriptoris noticiam auctentis, aut plene non pervenisse, ac illorum aetate, eam ad incerta ab Ecclesia fuisse rejectam. Negabat, exempli causa, Cyprianus, consentiente non parva Episcoporum Synodo, exstare ullam veram, atque Apostolicam Traditionem, qua Haereticorum Baptisma repeti prohiberetur: Numquidnam ergo inde haud dubie colligemus, nullam fuisse tunc certam in Ecclesia Traditionem, qua Haereticorum Baptismati valor adseretur? Immo, & exstabat, & Cypriano frequentissime, atque adeo unice opponebatur; tamen nec ipsi, neque aliis plerisque multis, vera, atque Apostolica videretur.

VI. Libri Sapientiae, Ecclesiastici &c. Hieronymi, ac aliorum nonnullorum censura, Sacri Textus auctoritate non pollent. Licebitne jam inde, & quidem absque ulla dubitatione, colligere, nullam tum fuisse certam Traditionem, quae Canonicos faceret illos libros? Qui igitur, ipso vivo, ut aiunt, ac vidente Hieronymo, Carthaginienses Patres illos inter Canonicos adnumerarunt, aperte professi, se a Patribus ista accepisse in Ecclesia legenda? Nam quod ait S. Doctor, legendos quidem hos libros in Ecclesia, ad edificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam [h], putabat ipse quidem ita se rem habere: de eo enim Facto veram Traditionem non plene noverat, quum tamen Carthaginienses Patres eodem ferme tempore luculenter explicarunt: & quod ad librum Sapientiae speciatim attinet, disertissime Augustinus quum alibi, tum Libro de Praedestinatione Sanctorum [i].

VII. Postremo, ne sim multus, Traditio de Adami Calvaria, ab Hieronymo non tam defenditur ut suspecta, quam ridetur ut fabulosa. Si constare sibi velit Auctor, negabit proculdubio, aetate Hieronymi ullam fuisse vel certam, vel etiam probabilem hujusce rei Traditionem: neque Ciani partes suscipiet, pro ea cum Hieronymo contententis. At enim non ita se gerit: quin potius adest Cano, cumque eo Traditionem vindicat, Hieronymi auctoritate posthabita: nec dubitat affirmare, Majorum testimonia Sanctum Doctorem latuisse: alioqui ab ea Traditione deridenda sibi dubio procul temperaturum fuisse [k]. Nimirum ipsius etiam Auctoris suffragio, sustineri nequaquam potest, tum dici solum vigere in Ecclesia de Facto aliquo certam Traditionem, quum Fidelium nemo, vel etiam Scriptorum clarissimorum, illud negat, vel in dubium revocat. Etenim ut ab levi alicujus partis aegrotatione, ad incommodam totius Corporis valetudinem, inepta collectio est; ita ex unius alteriusve Ecclesiastici Scriptoris vel dubitatione, vel inficiatione, minus scite conficitur, Ecclesiam totam ea etiam obscuritate, atque hesitatione teneri.

VIII. Advertatur quoque, aliud esse, exstare in Ecclesia de aliqua re certam Traditionem; aliud vero, Ecclesiam totam de alicujus rei Traditione certam omnino esse. Hoc latius multo est, requiritque Eruditorum, atque Antiquitum paene omnium consensionem. Ad illud vero abunde fat est, si una, vel altera peculiaris Ecclesia, doctrinae alioqui, atque eruditionis non experti, alicujus facti adsertione firma permaneat, reliquo praesertim corpore neutiquam refragante. Dico, praesertim, nam neque id res postulari: quod exemplo Cypriani paulo ante prolato, atque aliis plerisque, facile comprobatur.

IX. Ad rem quod attinet, ultro damus, Hie-

Ooo 2 ro-

(a) De praescript. cap. 36. (b) In Matth. cap. 20. (c) Lib. 1. adver. Jovinian. (d) In Psal. 36. (e) Cap. 1. 9. (f) Tract. 12. in Matth. (g) Orat. Adver. Auxim. (h) Aul. Gall. lib. 2. cap. 22. (i) Lib. 4. de Finib. (k) Exercit. 18. num. 4.

ronymi tempore totam Ecclesiam non fuisse certam de nominibus Parentum Deiparæ Joachimo, & Anna : hæc enim Traditio in omni ejus parte fortasse non adhuc divulgata tum fuerat. Sed valde negamus, recte inde colligi, nullam certam de his nominibus tunc in Ecclesia fuisse Traditionem. Extabat enim in Orientis Ecclesia: nec illi umquam de hac re quæstio ab aliis Ecclesiis mota fuit: quin potius ex illa in totum Orbem Catholicum absque ulla contentione manavit.

X. Atque hæc ita dixerim, ac si Hieronymo ea fuerit opinio, quam ipsi Auctor affingit, Patrem, nempe, Deiparæ fuisse Cleopham. Quod quidem ipse conficit perspicuis (si Deo placet) Sani Doctoris adfectionibus: quarum prima est, *Maria Cleopha stricto sensu Deiparæ Soror fuit. Altera, Maria Cleopha, sic dicta est, non a Viro, sed a Patre. Ex quibus ipse colligit, utriusque Patrem, Hieronymo Judice, non Joachimum fuisse, sed Cleopham.*

XI. Sed procul dubio multum fallitur: Nam primo, ut ipsi demus, Hieronymum existimasse, Mariam Cleopha Deiparæ Sororem fuisse stricto sensu; at ipsum tamen affirmate dixisse, Mariam Cleopha sic nuncupatam a Patre, nemo, cui locus ille perspectus est, facile consenserit: ait quippe Sanctus Doctor: *Restat conclusio, ut Maria ista, que Jacobi Minoris scribitur Mater, fuerit Uxor Alphaei, & Soror Mariæ Matris Domini; quam Mariam Cleopha Joannes Evangelista cognominat, sive a Patre, sive a gentilitate familie, aut quacunque alia causa ei nomen imponens (a).* His vero quid aliud innuit Sanctus Doctor, quam sibi non satis exploratum esse, fuerit necne Cleophas hujus Mariæ Pater? Quis jam vero statas vocum significationes attendens, *Dubitationem, certam vocabit Affirmationem*, perindeque habebit, aliquid se sustinere ab rei cuiuspiam judicio, ac de eadem absolutam ferre sententiam?

XII. Quinimo postrema illa verba, *Aut quacunque alia causa ei nomen imponens*, satis insinuunt, Hieronymo minime displicuisse antiquam Egeippi sententiam, cui sua etiam ætate Scriptores præclarissimi Chryostomus, ac Theodoretus dissentiri favebant, nempe, Cleopham hujus Mariæ Virum fuisse. Dicit aliquis, posse quidem his verbis aptari nonnullos sensus, ipso Hieronymo non repugnante; at hunc tamen nullo modo: quippe perspicua est ejus mens, quod Alphaeus, non alius, hujus Mariæ Vir fuerit. Sed istuc obijcienti illico reponatur, quod idem Sanctus Doctor Helvidio regerit, *Disce Scripture consuetudinem, eundem hominem diversis nominibus nuncupari. Raguel Socer Moyse, & Jethro dicitur: Gedeon, nullis causis immutatis nominis ante præmissis, subito Hieroboal legitur. . . . Multaque alia, que ad exemplum horum pertinent, ipse sibi de omnibus Scripturis Lector poterit congregare.* Itaque vel ipso Hieronymo disceptante, incredibile nequaquam est, Cleopham, & Alphaem [b], unum eundemque fuisse hominem; & quod consequens inde est, ab ejus sententia non multum abesse, qui Cleopham hujus Mariæ Virum faciunt.

XIII. Sed utcumque id se habeat, negamus, & quidem non temere, ullis verbis Hieronymi plane confici, Mariam Cleopha fuisse stricto sensu Sororem Deiparæ. Et Sororis vocabulo utitur quidem Sanctus Doctor, quo usum etiam est Evangelium; eamque Christi Domini Materteram, vocat, atque ejus filios ejusdem Domini Consofrinos. Sed an Sororis nomine primum innuat, an alterum propinquitatis gradum, tam loco hoc contra Helvidium, quam Commentario in Mat-

th. cap. 12., aliisque locis, fat liquido definiri non potest. Quin quum Scripturarum more, quas illuc abunde congerit, Fratres, Sororesque vocentur, non modo eodem Patre, vel eodem utero geniti, verum etiam ejusdem cognationis homines, tamen gradu remotiore, *Cognitionis Fratres vocantur, qui sunt de una Familia. quum ex una radice multa generis turba diffunditur: Non est cur velit Auctor, credidisse Hieronymum Mariam Cleopha stricto sensu Sororem Deiparæ: quum id ab eo nec explicite dictum sit, nec allatis Scripturarum exemplis hoc dicere voluisse, affirmare cogatur.*

XIV. Observetur etiam accuratius ille locus Sancti Doctoris in 1. Matthæi: *Deinde ex una Tribu fuisse Joseph, & Mariam; unde ex lege eam accipere cogebatur, ut propinquam.* Etenim si Virgo unigena fuit, concedi facile, commodeque intelligi potest, Josephum lege coactum, ipsam duxisse; postea quod aliqui exploratissimum est, eundem eos exstitisse Tribus, atque etiam cognationis. At si Virgini ex iisdem Parentibus alie Sorores deantur, adserta hæc ex lege necessitas, non est, ut mihi videtur, multum perspicua: Nam etsi lege Joseph cogi potuit ad unam ex illis Sororibus accipiendam; at nullo tamen præcepto adigebatur, ad spectatim ducendam hanc, non aliam, Deiparam potius, quam Mariam Cleopha; vel aliam ex Sororibus, si earum numerum augeamus.

XV. Reponet aliquis, verosimile fati esse, censuisse Hieronymum, antequam Virginis instarent Nuptiæ, Sororem ejus Mariam Cleopha fuisse nuptam Alphaeo, neque tum alium, præter Josephum, inventum fuisse B. Virgini conjunctiorem. Communis tamen sententia est, Deiparam vel fuisse Unigenam, vel certe primo suis Parentibus genitam; atque etiam Virgo traditam ætate adhuc fati tenera; ut credibile parum sit, Sororis nuptias matrimonium ejus antecessisse. Quod si Auctor non probet, celebratas fuisse B. Virginis nuptias in prima ejus adolescentia, illasque differat post ejus annum viceimum; qui saltem planum faciet, secundam ante nuptias; quam primam? Quando itaque ad conjecturas deveniendum est, verosimilius arbitrator, sensisse Hieronymum, B. Virginiem suis Parentibus prolem unicam, hæredemque solam fuisse, atque hæc de causa propinquum ejus Josephum ipsam accepisse, lege coactum. Hoc pacto S. Doctorum intellexerunt plerique Sacri Textus Interpretes; Et quod rei caput est, ipsius mens sic exponitur accommodatus ad Ecclesiæ Traditionem; cui quum apte conciliari possit, quis, quantumvis contentiosus, neget, eidem conciliandum esse?

XVI. Nam quod ait Tillemontius [e] et quo noster pene omnia [e] videri sibi Hieronymum pro strictiori sensu, idest, pro primo cognationis gradu, non obscure pronunciasse, propterea quod Mariam Cleopha Deiparæ Sororem vocet, nulla adhibita explicatione, aut verborum temperamento; quum tamen id res ipsa vel maxime postulasset: quippe de questione *Fratrum Domini, & quemadmodum sic nuncupentur, operosius agebatur*; Id, inquam; non multæ difficultatis est: eo enim tendit Hieronymus, atque id potissimum agit, ut quos Sacer Textus *Fratres Domini vocat*, e Deiparæ geniti minime reputentur: in cæteris nolle se contentiosum finem trahere facile proficitur [d]. Et fat quidem ipsi est, dici eos Christi Fratres, *Non affectu, non Genis privilegio, non natura, sed cognatione*; quo sane modo ii optime dici possunt Fratres Domini, tamen eorum

eorum Mater Maria Cleopha; Deiparæ Soror stricto sensu non fuit. Sed hæc de re in tertia Dissertatione fufus.

XVII. Quod vero ad præsentem controversiam atinet, a litigiosa conquisitione sensus Hieronymi libenter abstinere. Nam sive Sanctus Doctor, de Nominibus Joachimo, & Anna aliter sensit, uti Auctor existimat; sive quod multo verosimilius est, de illis nihil certi definiit; ejus vel alia, vel anceps sententia, huic Traditioni, Ecclesiæque consensioni non multum incommodat. Iisdem namque temporibus horum Nominum, uti competissimorum, quibusque refragaretur nemo, meminit Epiphanius; quem in hac re deceptum scriptis apocryphis, ac fabulosis non tam probabiliter, quam auctor obtenditur. Quamquam si cui Epiphanius testimonium non est gravissimum, is illud saltem advertere poterit, quinto, vel etiam quarto Ecclesiæ sæculo, Orientales publicis officiis, ac festis honoribus, Virginis Parentes, ipsis nominibus *Joachimi, & Annæ*, profecutos fuisse; ut ad diem 20. Martii adnotant eruditissimi Bollandi continuatores. Itaque non unius, sed plurium, eorumque vetustissimorum adclamationibus, hæc sacra nomina celebrata comperiet. Faciunt ad hæc etiam, & quædam valde, quæ superiori Dissertatione in Epiphanius locum Hæresi 79. n. 7. paucis observavimus [a].

XVIII. Postremo quod Maldonatus disertim adprobet opinionem de Parente Virginis Cleopha, & quidem *uti rem*, si Tillemontio credimus, *extra omnes difficultates*; leve nimis, atque adeo nullum argumentum est, ut inde haud dubie colligamus [b], heri, vel nudius tertius, hujus nempe Scriptoris ætate, nullam fuisse certam in Ecclesia Traditionem, que Deiparæ Patrem faceret Joachimum. Alioqui non dissimiliter contendere poterit, missis aliis exemplis, tempore Cæjetani adhuc certo non constituisse de Divina auctoritate Libri Sapientie: quandoquidem is Auctor impetentive Hieronymum imitatus, utilem illum quidem ad morum instructionem, minime vero ad Fidei dogmata confirmanda, litteris proderi non dubitavit. Sed in ejus audaciam, pro rei merito, invecus est Causa, & ipsius æque vanam, ac periculosam rationationem luculenter evertit [c]. Nempe, veritati, ipsique adeo perspicuitati, distinctionum, ac dubitationum nebulas offundere, res est profecto non multi operis, præsertim doctis, in variaeque literatura exercitatis ingenii. Verum tamen pura corpora, atque sincera sumum, vaporesque non excitant.

XIX. Quid jam, si perspicuum faciam, namquam Maldonatus hujus fuisse sententiæ, atque eam illi hos Auctores affingere? Et id quidem commonstrare valde necessarium duco; quippe confert ad illustrandum, quod paulo ante observabamus, videlicet, Auctorem nostrum nonnihil decipi, affirmate pronuncians, Hieronymi exploratam sententiam esse, Patrem Deiparæ fuisse Cleopham.

XX. Ait itaque Maldonatus: *Vera sententia est, quam Hieronymus validissime probavit, Fratres Christi, Consofrinos, & cognatos ejus appellari, quales erant Jacobus Minor &c. Filios fuisse Sororis Mariæ Virginis, que & ipsa Maria vocabatur, Jacobum quidem, & Jose, constat. Nam Mariam Cleopha Filiam, Alphaei autem Uxorem, Joannes vocat Sororem Matris Domini [d]. Itaque, judice Maldonato, Hieronymi sententia vera est, atque aliis præferenda. Sed quænam tandem est hæc sententia? Numne quod Maria Cleopha sit stricto sen-*

tu Virginis Soror? Auctori quidem, ac Tillemontio ita proflus videtur; sed ad sensum hujus Interpretis nihil minus. Hic enim aperte docet, Beatam Virginiem suis Parentibus unicam fuisse sobolem; cui propterea ex iisdem Parentibus Sororem dare non potuit.

XXI. Etenim expendens argumentum illud, quo ex conjugio inter Mariam, & Joseph Sacri Textus Expositores efficiunt, Mariam ad Davidis familiam pertinere, ad rem nostram hæc habet: *Illud etiam addo, existimare me, B. Virginem Joseph, tanquam maxime omnium propinquum, non solum sponte, verum etiam necessitate legis, traditam fuisse. Credo enim legem illam non solum de eadem Tribu, sed etiam de eadem familia intelligi debere; ut quum Mulier aliqua paterna hereditatis SOLA HÆRES esset, non posset, nisi ejusdem Familie Viro, & quidem propinquissimo, nubere [e].* Credit Maldonatus, Deiparam hereditatis paternæ SOLAM, atque unicam hæredem fuisse; & quod consequens est, ipsi ex eodem Patre alios vel Fratres, vel Sorores dare non potuit. Ex quo etiam sit, hujus Scriptoris judicio, verba Hieronymi strictum illum sensum non continere. quem in eis perspicit Auctor [f]; atque id etiam existimavit Hugo Cardinalis, Estius, & alii [g]. Porro Beatæ Virginis Patrem, Joachimum dici solere Maldonatus refert [h]; neque huic ita eum appellandi consuetudinem vel minimum adferunt.

XXII. Et de hoc quidem argumento fati in præsens. Auctorem jam attendamus, adfectionem suam Augustini testimonio comprobantem: ait enim sic: *Quid etiam, quod Augustinus lib. 23. contra Faustum, cap. 9. Virum Manicheum tanquam fabularum venditorem carpit, quod Sacerdotem quempiam nomine Joachim, Mariæ Patrem adseruisset? Quod de generatione Mariæ Faustus posuit [sunt Augustini verba] quod Patrem habuerit ex Tribu Levi, Sacerdotem quendam nomine Joachim, quia Canonicum non est, non me constringit. Sed etiam hoc credorem, ipsum potius Joachim dicerem, aliquo modo ex Tribu Juda in Tribu Levi fuisse adoptatum. Hoc eodem argumento usus etiam est Tillemontius, in notis ad Historiam B. Virginis, nota tertia.*

XXIII. Locum hunc Augustini objecerunt sibi olim Scriptores doctissimi, Petrus Canisius, Baronius, Suarez, Vossius, alique multi, ac rei nostræ nihil officere, iisdem Augustini verbis perspicue demonstraverunt. Quod quum latere haud potuerit eruditionem Auctoris, ac Tillemontii, quid tandem est cause, cur illum nudum, tanquam adhuc intactum, ac minime conquistum obtenderint? An amant Causidicorum mores, quum quæ e re sua utcumque sunt, avide collecta, urgere non desinant; incommoda vero, ac valde molesta, ad artis regulas, dissimulando prætereant? Sed utrum hoc decet homines, facta, ut haberi volunt, expurgantes, rerumque veritatem puram putam profertentes, judicent æqui rerum æstimatores. Decipere id quidem est, non docere; lumenque subducere, haud tenebras dispellere.

XXIV. Inter Augustinum, & Faustum nulla umquam fuit quæstio de Nominibus, quo Virginis Pater appellaretur; sed loco illo, quem ingerunt Auctores isti, de genere duntaxat, ac Tribu Virginis disputatio instituitur. Nempe, *Magnus ille Diaboli loquens vehementer negat, Deiparæ originem esse e Tribu Juda, ac Davidis familia; contendebatque censendam esse in Tribu Levi: Quod ipsum, agebat, palam est: quia eadem Patrem habebat.*

(a) Lib. adversus Helvid. (b) Vide Bedam in 3. Marci. (c) Nota 2. in B. Vig. (d) Lib. contra Helvid.

(a) Num. 49. & 50. (b) Ibid. (c) Lib. 2. de Loc. cap. 11. (d) In 12. Matth. vers. 46. (e) In 1. Matth. (f) In 12. Matth. (g) In 1. ad Galat. (h) In 1. Matth.

buerit Sacerdotem quemdam, nomine Joachim. Huic Manichæorum errori Augustinus occurrens, credere nos ait, Mariam e cognatione Davidica prodidisse, quia Scripturis Ecclesiasticis, Catholicis, id absque ulla ambiguitate tradentibus, firmissime credimus. Porro obstringi se minime illius scripti auctoritate, quo Sacerdos quidam e Tribu Levi, nomine Joachim, Virgini Parens datur: quum nequaquam inter Canonica, sed cum Apocryphis adnumeretur.

XXV. Itaque non Joachimi nomen, ut isti volunt, sed Sacerdotium, Genus, ac Tribus in controversiam illam veniebat. Et sane quid attinisset de hoc nomine disputare? Nisi forte sit qui putet, Sapientissimum Doctorem nihilo minus Fauto litem intentanturum fuisse, si cætera de Virgini Patre non diffidendo, solum Joachimi nomen retinisset. Verum, inquit Vossius, non tam hoc in dubium vocat (Augustinus) utrum Parens sit dicitur Joachim, quam quod is dicitur fuisse e Tribu Levi &c. [a]. Licet ergo Sanctus Doctor minime se obstringi dixerit monumentis non canonicis ab illo impio prolatis; non tamen inde recte colligant Auctores nostri, omnem Traditionem, ac rerum harum historiam, cui non succurrit auctoritas canonica, ad commentitia, ac penitus fabulosa, ab Augustino amandatam esse. Et monumentum quidem a Fauto prolatum, haud dubie illud erat, quod infamis Manichæus Seleucus plura mentiendo constaverat. Verumtamen & hic illud quadrat,

... Nec fingunt omnia Cretes.

Præsertim, quod nihil sua, suæque hæreseos intererat, Deiparæ Genitores falsis nominibus appellare. Quamobrem & ipse Tillemontius, male se putare, inquit, hos impostores, quippe antiquissimos, vera Parentum B. Virginis nomina sive potuisse; Ideoque credendum, non eos alia falsa, & quidem inuulter, fingere voluisse.

XXVI. Et Manichæorum quidem, ac Gnostico- rum his de rebus Narrationes, indignas prorsus esse fateor, quæ in argumentum accipiuntur. Nam etsi aliquando veri quidpiam asserunt, neque hoc ipsum tamen, tamquam ex impiorum ore, ac testimonio probandum est; sed ob Catholicorum utique Scriptorum, qui eodem tempore, vel antea, vel etiam postea scripserant, auctoritatem: ut, quemadmodum ille ait, Bona sententia maneat, Turpis Auctor mutetur [b]. Jam vero Græcos Patres hæc impiorum monumentis usos fuisse, ac de iisdem intelligendum Epiphanium, quum ait: Tametsi historia Mariæ, & Traditiones habeant, quod dicitur est Patri ipsius Joachim in deserto &c. (c) opinor neminem facile admitturum. Atque id eo magis, quod Vir Sanctus non omnino indiligentem se præbuit in hujusmodi Historiarum, ac Traditionum delectu. Etenim Librum quemdam Gnostico- rum Stirps Mariæ nuncupatum, ut commentis referunt, confutavit in suo Panario [d]. Impia quoque Ebionæorum Apocrypha, ac suppositos Apostolis libros, accurate distinguit, illorum hæreses confutando: Nec causam video, inquit Vossius, cur nobis persuadeamus doctissimum Epiphanium, qui tantum opere impendit hæreticorum Libris acquirendis, legendis, expendendis, impugnandis, nescisse distinguere inter hæreticorum, & Catholicorum libros, ac doctrinas &c. [e].

XXVII. Urget deinceps Auctor testimonium Petri Damiani: Sed & undecimo, inquit, verten-

te sæculo usque adeo incerta, dubiaque erant Sanctissimorum Deiparæ Genitorum nomina, ut in ea curiosus inquirere, superfluum, & inutile reputaret Vir illius ævi doctissimus, atque Sanctissimus Petrus Damiani, serm. 3. de Nativitate. Nonnulli, inquit, dum plus sapere, quam oportet sapere, gestunt, quis Pater, vel quæ Mater B. Mariæ fuerit, studio superflue curiositatis inquirunt. Sed aliquis lector nimis inutiliter querit, quod Evangelista narrare superfluum duxit. Si enim huic notitia utilitatem esse cognosceret, nequaquam nobilis Historicus rem necessariam silentio præteriret.

XXXVIII. Videtur quidem Auctor ad hujus Sancti Scriptoris monita non satis animum attendisse; alioqui ab hac, & similibus controversiis excitandis dubio procul abstinuisset, reticuisseque, quæ de his studio superflue curiositatis conceperat. Quinimmo quum jamdiu Ecclesia Univerfa publicis officiis, sermonibus, celebritatibus, Deiparæ Parentes his nominibus veneretur; non cuiuslibet, sed perverſe curiositatis arguendus is est, qui ea nunc in dubium vocat, pieratemque Fidelium importunus oburbat. Sane, si quis ætate hujus pii Scriptoris in D. Josephi calibrum fuisse in- vectus, non tam vanus, atque inutilium investigator, quam auidax, Ecclesiæque contemptor, habitus ab ipso fuisset, propterea quod Ecclesiæ fides sit [f] D. Josephum fuisse calibrem. Atqui non minor jam est Ecclesiæ Fides, pia utique, de nominibus Parentum Deiparæ Joachimo, & Anna, quam tum fuerit, atque etiamnum sit, de Josephi calibratu. Quis rem adeo perspicuam inficiabitur? Neque minor est igitur horum hominum nunc impugnantium auidax, quam tum illorum fuisset, ac nunc etiam foret, atque adeo est, qui Josepho calibratu denegant. Quid porro reposuisset Vir Sanctus, si objectum ipsi fuisset, Sacras Litteras Josephi calibratum silentio præterisse? Quid putat, nisi Ecclesiæ confessionem validissimum de sese arguereum esse; ac plura nos quam pie, tum summe credere, quæ Sacris litteris minime consignatur? Hoc ipsum Auctori nostro nos reponemus, pii Scriptoris testimonium obtendenti.

XXXIX. Quod vero ad argumenti vim attinet, vehementer negamus, ætate Petri Damiani dubia omnino, ac incerta fuisse Sanctissimorum Parentum nomina. Sane Leo III. sub initia noni Sæculi, Fecit in Damasica B. Mariæ ad Præsepe vestem habentem historias Annuntiationis, & Sanctorum Joachim, & Annæ, ut in ejus vita narrat Anastasius, quod quidem factum memorans Tillemontius, ad ejus tamen vim enervandam hæc statim adnotat: Sed ea res adfectatores non habuit. Exploratum quippe est, Occidentales Petri Damiani, ac Bernardi etiam temporibus, Divorum Joachimi & Annæ nomina non agnovisse. Mira profecto hominis confidentia, sive Quid affirmet, vel neget. Nam nonne Fulberti Carnotensis ætate pervulgata satis erant hæc nomina, ac nostris nota? Hunc tamen piæm Scriptorem anteisse Bernardum, ac Petrum Damiani, neminem latet. Nonne Strabo Fuldenſis, & Haymo Halberſtatenſis diu ante Petrum Damiani, paulo post Leonem III. nono Sæculo florere? Attamen & isti de hisce nominibus, tamquam de re minime dubia, meminerunt. Strabo quidem in Epist. ad Galatas 1. Haymo vero lib. 2. de Christian. Rem. Mem. cap. 3.

XXX. Jam vero factum ipsum Leonis nonne de se satis innuit, fuisse tum hæc nomina in ore Fidelium, deque ipsis hunc Sanctum Pontificem minime dubitasse? Quis enim facile credat, veni-

nisse in Leonis mentem, inter tot perfecte veritatis historias, quas in plerisque vestibus pictas voluit, hanc profusum ignotam intrudere, hominesque adhuc penitus inauditos, omnium oculis depictos ponere? Ipsa quoque hujus Facti simplex narratio, absque ulla Anastasi, vel inficiatione, vel animadversione, nonne satis insinuat, quum ipsum, tum alios noni Sæculi, nomina hæc Deiparæ Genitorum neutquam ignorasse? Quod spectat ad D. Bernardum, frustra eum proferi hic Auctor: nihil enim habet Epistola illa 174. quam ipse laudat, unde verosimiliter effici possit, hæc nomina remota tum fuisse ab Occidentalium notitia. Sane Bernardo æqualem fuisse Auctorem Adnotationum in Epistolas Pauli, Hugoni a S. Victore attributarum; confirmat Ellies Dupin (a). Porro is Auctor disertim ait, Mariam Matrem Domini, Joachim, & Annæ Filiam fuisse (b): Annam vero tribus subinde Viris nupsisse &c. quæ ante tria sæcula scripserat Strabo Fuldenſis.

XXXI. Quid igitur sibi vult, inquit, verbis illis D. Petrus Damiani? velit fane quodlibet; illud certe non sibi vult, quod omnino sibi voluisse Auctores nostri contendunt. Atque illud imprimis est adferendum, Sanctum Scriptorem Questionem hæc non iccirco inutilem duxisse, quod hæc Sacra Nomina multis dubitationibus involverentur, ut Auctor affirmat; sed quia id scire, Fidei Catholicae parum, vel nihil interesset. Contentiosior caritas nunquam fuit, & quorum nimia curiositas consistere nusquam possit. Horum nonnullos de his nominibus immoderatus concertantes Vir doctus, ac pius reprimere fortasse voluit, tamquam frustra de re, ad Ecclesiæ doctrinam alioqui non necessaria, tantum pulveris excitantes. Fortassis etiam de Virginis Parentum serie, seu Genealogia, deque multo in ea perquirenda nonnullorum studio, sermonem habuit. Cui profecto nihil obest, quod recepta tum fuerint Annæ, & Joachim nomina: adhuc namque Qui fuerint obscurum remanet, ignorata Genealogia. Nec enim solum ætate hujus Sancti Scriptoris de Virginis Avis, Proavis &c. certi, atque explorati habebatur nihil. Sed his ipsis etiam nostris temporibus de hac re nulla, vel certe minima est inter Scriptores concordia: ut quando nec Sacer Textus, nec ulla constans Traditio, aut verosimilior ratiocinatio, hisce inquisitionibus suffragari potest, fatius multo esset illis modum facere, quam bonas horas inutiliter terere.

XXXII. Postremo, ut aliqui eo tempore, atque ipse adeo Vir Sanctus in his Nominibus hæserint; quæ tandem gravis argumentatio inde confici possit, quæ etiam hæc nostra atas iisdem scrupulis implicetur, haud satis video. Nisi si forte æctus valde, vel etiam invictus habendus sit hic modus ratiocinandi: Ante annos sexcentos, & amplius, de Traditione hæc, vel illa ab aliquibus dubitatum est: Oportet igitur & in præsens ab adfectione se subtrahere, nihilque de illis affirmate proferre. Si quem delectat is differendi modus, considerandum ei serio dimiserim, anne difficile sit similibus argumentationibus non piæ modo Traditiones, sed plura etiam doctrinæ capita ad incertum vocare, atque, si ita libuerit, inficari? Reperantur quæ Hieronymi locum explicando digestimus, Generatim ergo quæcumque olim incerta aliquibus visa sunt, si sensim deinde, atque in dies magis magisque recepta, confessionem denique totius Ecclesiæ obtrinerunt; hæc, inquam, si quis ob antiquas illas difficultates etiamnum in dubium vocet, is perinde omnino facit, ac si Na-

vim, jam in tutam, tranquillumque portum de- vectam, quod aliquando undarum periculis obnoxia fuerit, iisdem agitationibus nihilo minus oblectam contenderet.

XXXIII. Jam quod Auctor subdit sua prosequens argumenta, Non aliam nuper eruditissimus Bollandi Continuato- rum sententiam fuisse; qui Joachimi, & Annæ nomina in dubio reliquerunt in Actis ad diem 20. Martii. Equidem si ita res haberet, fateor, causæ meæ sane quam timerem: quis enim illis adverteretur, quos in ejusmodi arena jure optimo Hercules dixerit, qui nullos etiamnum non exantlant labores, ut omnia in S. S. Historiis, quam absolutissima, & castigatissima habeamus? Sed omnino haud ita habet, modo quid fit in dubio relinquere, probe teneris. Itaque rem quæ sitam in dubio tandem relinquere illos dicimus, quibus, cunctis diligenter expensis, occurrit nihil, quo ad illius sive affirmationem, sive negationem vel probabiliter moveantur. Contra Judicium in affirmatione, vel negatione versatur, innixa principiis, non modo certissimis, aut evidentiis, sed etiam verosimilibus, ac probabilibus. Jam si eruditissimi Continuatores communem sententiam satis verosimilem judicant, atque etiam adlaborant, quo magis eam confirmant; quis contendet, eam ab ipsis in dubio relinqui, nisi cui vocum harum vera significatio excidit?

XXXIV. Jam vero istud ipsam paucis ostendamus; immo ipsimet potius præcellentissimi Scriptores sententiam exponant suam. Ajunt namque sic: Utriusque Ecclesiæ Patrum, Joachimam, & Annam celebrantem, concors creditus facit, ut de Nominibus non admodum anxie dubitamus, verane sint, an solum accepta ex quadam etymologicæ Hæbraice congruentia &c. Etenim ut dubie prorsus Fidei sint omnia, quæ de utroque vel Græci Patres &c. Quantum tamen hoc est, si ipsa saltem Parentum Sanctissime Dei Genitricis nomina, Ecclesiæ Traditio conservasse putetur, nec omnia dicantur Auctores isti finxisse? Porro hoc, quod multo verosimilius putant, mox aliis argumentis illustrare magis, ac patefacere ita pergunt: Sub his certe Nominibus eos celebrant Sanctorum Patrum Eucromia, & Ecclesiæ festiis prosequuntur honoribus &c. Neque illa sunt reticenda, quibus perpetuam horum nominum celebritatem Antiquorum monumentis comprobant: Credibile videtur non tantum antiquissimum in Oriente fuisse usum Virginis Nativitatis diem in honorem Sanctorum Mariæ Progenitorum celebrandi; sed ipsos quoque Canones, vel ab ipso Sancto Sabæ, primo Menæorum Collectore, vel a SS. Obarione, Eubymio, Theodistore, a quibus ipse accepit pleraque, fuisse compositos. Pervenit autem Sancti isti ad quartum Ævæ Christianæ Sæculum.

XXXV. Nimirum tantum abest, ut hi Scriptores, in dubio reliquerint Sacra Joachimi, & Annæ nomina, ut etiam ea questis, injectisque scrupulis in dubium vocantes; concordi Patrum sententiæ, antiquissimæque Orientalium consuetudini penitus advesari, perspicue doceant. Quod profecto, me judice, perinde est, ac eisdem non parvæ temeritatis arguere. Nam quem demum merito audacem dixerimus, si tantæ confessioni, vultuati, auctoritati obsequi renuentes, justis, legitimeque litigatores habendi erant? Nec tamen abnuerim potuisse Scriptores doctissimos explicatius, verbisque absolutioribus hujusmodi de re loqui, quam Antiquitate consignatam, Confessione receptam, universitate celebratam planissime contentur; nec illis tantum formulis contentos esse: Non admodum anxie dubitandum: Quantum

(a) Dissert. de Gen. Christi cap. 4. num. 4. (b) Aul. Gell. lib. 18. cap. 3. (c) Hæresi. 79. (d) Hæresi. 46. (e) De gener. Chr. cap. 5. num. 2. (f) Opusc. 17. cap. 3.

(a) Tom. 9. Biblioth. pag. 216. (b) Quest. 5. in eam Epist.

tamen hoc est, si ea Ecclesia Traditio confirmasse putetur: Credibile videtur: unde recens Criticus animum arripit adferendi, hæc eos nomina in dubio reliquisse. Verumtamen quantum hæc ipsa differant ab suo illo definito loquendi modo, *Dubia, incertaque sunt, quæ vulgo feruntur nomina Genitorum &c.* quamque propterea sibi nubes colligenti, parum faveant Scriptores isti, rem fusius illustrantes, nemo non illico deprehendet.

XXXVI. Eadem inicitur, si minus mala Fide, at non mediocri indiligentia, ignorantiaque rei confidenter adferat, argumentum postremum: Certe, inquit, quotquot Christi genealogiam a Luca descriptam cap. 3. per Mariam Progenitores duntaxat existimant (existimant autem bene multi) Deiparæ Patrem Heli dictum opinantur. Sed nescio, qui tandem Auctor Eruditos omnes idoneos putet, in quos sic illudat. Hocine, quæso, est agere solent Criticum, atque absolutum, Facta celeberrima dolose aggredi, atque ubi desit infidandi materies, saltiter vel manifestas impudenter obtrudere? Probatum est sane multis Theologis, iique gravissimis, atque etiam Heterodoxis non paucis nequaquam Josepho, sed Virgini in Luca genealogia Heli Patrem designari. Verum inde conficere, illos sensisse, Deiparæ Genitori non fuisse nomen Joachim, est vim inferre, apertissime veritati. Quinimo tantum hoc abest, ut potius illorum plerique iccirco facilius, huic sententiæ conciliantur, quod illi Joachim nomen fuisse, confirmat, antiqua communisque Traditio. Perinde quippe est Heli nomen, atque Heliachim, & Joachim: ut qui Joachim vocari soleat, interdum Heliachim, & Heli appelletur. Sed Auctorem testimonii rem planam facere operæ pretium est.

XXXVII. Atque ab Hæreticis ordiendo, ait Bullingerus: Omnium sententia est, Heli esse eundem, qui & dicitur Joachim, patrem scilicet Mariæ. Fulfus Olander: Ubi dubitatur de Patre Josephi, veteris Ecclesie Traditionem retineamus, quæ docet Josephum fuisse Filium Jacobi, generum autem ipsius Heli: hoc est, Heli, qui vero nomina Jebiachim dicitur fuit, fuisse Patrem Virginis Mariæ &c. (a). Nec dissimiliter Brentius, atque etiam explicatus: Mibi ex Majorum Traditione, manifestum est, quod Pater Mariæ Joachim vocatus sit; Apud Syros autem, quemadmodum testatur Philo, idem sunt Heli, Heliachim, & Joachim, manifestum est, ipsum, & Heli vocatum. Et is est Heli, quem Lucas vocat Patrem Josephi. Subscribit his Montacutus: Ita Josephus relationem ad Heli habuit, Patrem scilicet Sponsæ suæ Mariæ Virginis; cuius Pater Heli communi quadam appellatione nominatur pro Eliachim, quod nomen idem est, atque Joachim; qui Traditione vetustissima, nec rejicienda, Pater fuisse dicitur B. Virginis (b). Scribit hæc ipsa disertum Vossius: Sed de isto quisque sentiat, ut volet; dum Eli, æquum Jesu, Sacerum Josephi fateatur. Quam opinionem etiam jurat, quod idem ab Antiquis dicitur Joachim; ac Joachim non alius sit, ac Eliachim: Eli vero ex Eliachim per præcisionem in nominibus propriis haud insolentem factum videatur (c). Hoc idem fenserat ante hos, atque alios plerisque Erasimus Roterodamus, quem nihil est causæ, cur non recenseam inter Novatorum præcipuos. Ait vero, Primum Eli idem est cum Jebiachim, quem corrupte vocant Joachim, pater naturalis Mariæ Virginis, & Avus Jesu Christi secundum carnem.

(a) Apud Petrum Canis. lib. 1. de B. Virg. cap. 4. (b) Appar. 8. n. 25. (c) Dissert. de Gen. Christ. cap. 4. n. 4. (d) Disp. 127. art. 3. cap. 3. (e) Lib. 11. de Locis cap. 5. sub init. (f) In cap. 1. Matth. (g) In cap. 1. Matth. (h) Tom. 2. in 3. Part. Disp. 2. sect. 3. (i) In cap. 1. Matth. (k) In cap. 3. Luca. (l) Ibid. (m) In cap. 3. Luca. (n) Anno ante Dom. 6. num. 19.

Quod testatur & Hieronymus in cap. 3. Luca. Verum ut omnia hic recte ab Erasmo, sic in eo quod testem advocat Hieronymum, egregie feliciter falsus est, ut optime observat ingeniosissimus, atque eruditissimus Vasquez (d), qui adferit, Hieronymum hic in fide tantum Joannis Ananai ab Erasmo enunciarum.

XXXVIII. Ad nostros deveniamus, vel propugnatores, vel relatores, vel etiam oppugnatores opinionis, de Parente Virginis Heli: ex his enim omnibus luculenta testimonia pro re nostra reportabimus. Ait itaque Canus: Mibi vero opinio communis magis placet, quamvis illorum opinio non displiceat, qui adferunt, Heli Josephi Sacerum fuisse, eundem, qui & Joachim, patrem Virginis Mariæ. . . . Huc enim nominum significatio consonat: Nam Joachim, Eliachim, Heli idem fere significant, proque eodem fere usurpantur 4. Reg. 23. 2. Paralip. 36. (e). Maldonatus: Quod ad primum discrimen attinet, Augustinus tribus modis responderi putat posse: Primo Heli apud Lucam dicitur Joseph, non quod Pater, sed quod Sacer esset, Paterque B. Virginis, idem qui Joachim alio nomine vocari soleat (f). Estius: Quæritur tertio, an Christus ortus sit ex David per Salomonem. Negant multi, putantque a Luca describi genus Christi secundum carnem per Heli, idest, Joachim, patrem Mariæ, & Sacerum Joseph (g).

XXXIX. Suarez: ad secundum responderet, eundem fuisse Heli, qui Joachim, sive quia bino-mius fuit, sive quia in Scriptura, & usu Hebræorum, nomina Joachim, & Eliachim ut synonyma usurpantur &c. (h). Tirinus: Respondeo, secundum Monologia Græcorum, qui per Eli, seu Eliachim, intelligunt Joachimum, recenset Lucas stirpem paternam Mariæ, puta, Parentes Joachim (i). Cornelius a Lapide: Heli ergo dicitur Pater Josephi: Pater, idest Sacer: Heli enim per apocopen idem est, qui Eliachim; sive Joachim, Marius B. Ananæ, & Pater B. Virginis &c. [k]. Janfenius I-prensis: Difficultas hic magna est, quomodo Joseph dicitur Filius Heli, quum Matth. 1. dicitur Filius Jacobi? Recentior quidam facile nos expedit, dicendo, illud, Qui, referendum esse non ad Joseph, sed ad Jesum, ut sensus esset, Qui Jesus erat Filius Heli; Mater scilicet Maria interposita: quia Heli iste Pater erat B. Virginis, alio nomine dicitur Eliachim, & Joachim: nam ista Nomina eadem sunt, ut patet &c. (l). Mitto alios, ne in re facili multus videar. Unius tamen illorum, quippe Auctori nostro pergrati testimonium non præteream. Natalis is est Alexandri, qui hæc habet: Quamquam vero eruditissimis quibusdam Viris visum sit, Lucam Mariæ genealogiam, Mattheum Josephi texere; & Heli, qui idem sit ac Eliachim, seu Joachim, Patrem fuisse B. Virginis &c. [m] Unus occurrit Samuel Basnagius, Auctori favens: Hinc cantata Traditio resellitur, que non Heli, sed Joachimum Patrem Virginis dicit, repugnante Scriptura (n). Quali vero recens Interpretatio, habenda jam sit uti dogma, atque aperta S. Scripturæ sententia. Porro laudati Scriptores æque Basnagium, atque Auctorem resellunt.

XL. Quid ad hæc Auctor reperit? Illustriora enim ea sunt, opinor, quam ut pulvere adspersi queant, aut nubeculis obscurari. Quotquot Virginis Patrem Heli dictum volunt, iidem ipsi disertim affirmant, eundem vocatum fuisse Joachim: Nempe, tot contra se excitat adversarios, quot profert quasi amicos testes, ac fuz o-

pi-

pinionis adprobatores; quibus haud dubie mirum videri possit, Virum eruditum, atque Historiarum expurgatorem [ut quidem ipse præferet] hac fide ipsum Operis aggressum esse. Equidem quam ipsius pronuntiantem cerno, Scriptores bene multos existimare, Deiparæ parentem Heli vocatum esse; reticentem vero, eosdem illos Heli nomine Joachim intellexisse, perindeque esse apud eos sive quem Heli, aut Joachim voces; videre videor (absit injuria) Macarium Antiochenum, Sextæ Synodi Patribus in rei simili fidentem ejus malum coarguentibus, reponebant auctorem, etiam dixi, quia querens stabilire intentionem meam hoc modo destravit (a).

XLI. Atque hæc ferme sunt argumenta, quibus aditus est Auctor, Sanctorum Joachimi, & Annæ nomina ad incertum vocare, ac dubitationum nebulis involvere. Quo fe vero non quidem inepte, ut vulgi homines solent, sed erudite, doctèque pium ostentet, atque inflecto ab se vulgari antiquitati, & consensio quodammodo medeatur, hæc subdit: Que tamen omnia nequaquam posse possunt, quin Sanctissimi Deiparæ Genitores solenni cultu in Ecclesia celebrentur. Ad id enim nihil plane refert, quo nomine vocarentur: uti tam multi coluntur Martyres, quorum nomina nesciuntur.

XLII. Sane sic fe rem habere non abnuo. Quorum enim nomina ignorantur, si modo in Ecclesia nota, atque illustri sit eorum Sanctitas, merita, justaque veneratione celebrantur. Sed enim veri nominis oblivionem, iacturam esse non levem, præcipue in magnis Viris, atque insigni virtute præditis, quis, obscuro, inficiabitur? Est namque nomen defuncti hominis, ejus altera quasi vita, & longior quidem multo, atque adeo fortassis optabilior. Neque enim decessisse, sed frui adhuc nostrâ consuetudine ii videntur, quorum, etiam vetustissimorum, nomina celebramus. Contra ii, qui vel ignoto mortis genere, vel mox obliterandis nominibus, interierunt; ex hominum memoria, tamquam ex Fama Templo, atque Albo immortalitatis abradi, et rerum natura deleti profus, omnemque vitam exiisse, non immerito reputantur: Perierunt quasi qui non fuerint, & nati sunt quasi non nati (b). Quamobrem hæc conquisitiones, & controversiæ de Virorum clarissimorum nominibus, non illas inter habendæ sunt, quarum utilitas nulla, & quæ a doctis ad questiones futiles amandantur: quippe inter eximia sapientis præconia illud quoque relatum cernimus: Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur a generatione in generationem [c].

XLIII. Quo vero animadvertat Auctor, quantum rei quoque vulnus inferat, hæc nomina vellicando, quantique referat, quod obesse nihil putat; quæro utrum liceat, necne, Deiparæ Genitorum pietatem, ac Sanctitatem ad incerta, neque adhuc explorata rejicere? Negabit haud dubie, quæ ipsius religio est, atque, ut arbitror, non modo in hos Sanctos, verum in Ecclesiam totam observantia. Et id quidem præclare, atque ut decet Virum catholicum; sed nisi omnia me fallunt, non satis contentaneæ. Res enim eo spectat, ut his nominibus turbatis, virtuti quoque optimorum Parentum, celebratæque Sanctitati negotium non leve constetur. Quid enim reget, quæso te, si alicuius audacia (Lutheri exempli causa) eo etiam prorumpat, ut non tantum nomina, sed illorum quoque pietatem, ac Sanctitatem in literis vocet (d)? atque ad eam rem abutatur Bernardi verbum, quibus absurdi loco ha-

Serry Tom. III.

buisse videtur, Festos honores illis deferre (e)? Sane quum Deiparæ genuisse, non fat signi de fe, atque argumenti sit excellentis virtutis, ac Sanctitatis; aliunde, ac monumentis nequaquam dubiis comprobandum id esse, nemo non perspiciat.

XLIV. Quo jam, quæso fe vertet Auctor? Quæ Volumina, quos Textus consulat? Numne Sacras litteras? At hæc minime suffragantur clarissimorum Parentum excellentiæ: nihil enim, quod rem hanc spectet, nobis exhibent: Num Ecclesiæ Antiquos Patres, atque Scriptores? Sed & horum plerique hujus rei non meminere. Illorum vero, qui id attingerunt, auctoritatem, usque adeo elevare, vixare, ac frangere ipse Auctor nititur, ut, sua certe censura, hisce in rebus, plani, atque absoluti ex illis confici nihil possit. Quid jam, quod hi pane omnes æque sunt testes Sanctitatis, ac Nominum Genitorum Deiparæ? Eos porro in Sanctitatis assertionem recipiendos, repudiandos vero in nominum testimonio, non satis quadrat Juris regulis, nimirum, illis, quibus ipse utitur adversus Baronium: Testis, quisquis tandem ille sit, vel rejiciendus omnino, vel recipiendus ex integro (f). Num demum Ecclesiæ Traditionem, consensionemque? At hæc quoque Traditionem, atque consensionem nomina tantopere oppugnata fulciri perspicuum est. Itaque ut cum priorum Parentum nominibus simul Sanctitas corruet; aut certe cum Sanctitate, eorum quoque nomina inconcussa perlabunt. De re etenim profus pari, cur, aut qui dispar sententia?

XLV. Argumentorum ferient, quibus Auctor priorum Parentum Sacra nomina in dubium vocare conatus est, postrema hæc animadversio concludit: Quin etiam in ea propriorum illorum nominum ignorantia, mystice significationis nomina imponere illis Ecclesia potuit, & alterum quidem Joachimum, alteram Annam nominare. Anna enim Gratiam sonat, Joachimus præparationem Domini; qui tituli Sanctissimis Genitoribus approprie congruunt. Siquæ re ipsa factum docet Sanctus Fulbertus Carnotensis Episcopus in Sermone super Natalem Virginis diem, ubi Joachimi, & Annæ nomina, non vera, ac propria Parentum Virginis esse docet, sed accepta solum ex quadam Hebræicæ etymologia congruentia.

XLVI. Et Fulbertum quidem hæc docuisse, opinati sunt quoque Bollandi Continuatores ad 20. diem Martii. Utrum vero sic fe res habeat, judicent eruditi, postquam Fulberti verba consideraverint. Ait enim sic: Hujus Deiparæ, Pater, & Mater carnales fuisse feruntur Joachim, & Anna; quæ bene sibi de Nominis interpretatione competunt. Joachim quidem Preparatio Domini dicitur; Anna vero Gratia Dei interpretatur. In horum duorum Nominum interpretatione quid innuitur, nisi Gratia, quam simul adepti sunt? Equidem Verborum horum significationem fatis planam hanc esse arbitror, Joachimi, scilicet, & Annæ Nomina apte admodum convenire Deiparæ Genitoribus: quippe ejus Mater Gratia, Pater vero Domini Preparatio, perquam commode nuncupentur. Que bene sibi de Nominis interpretatione competunt: idest, rei, ac muneris ab ipsis peracto, quadrat optime Nominum interpretatio.

XLVII. Vel, quod eodem recidit, ex interpretatione horum Nominum pulchre conficitur, Virginis Parentes aptissime vocatos esse Joachimum, & Annam; non quidem ab Ecclesia, sed verorum, propriorumque Nominum ignora-

P p p

(a) Actio. 8. (b) Ecclesiasti. 44. (c) Ibid. 39. (d) Apud Petrum Canis. lib. 1. cap. 4. (e) Epist. 174. n. 6. (f) Exercit. 19. n. 2.

tionem, quemadmodum divinat Auctor; sed procul dubio ab eorum Genitoribus: quippe qui non temere, aut humana quadam observatione, ut fieri solet, sed Divina utique insinuatione, ea illis Nomina imposuerint, quae muneri congruerent ad quod eos aeterna dispositione elegerant. Porro quomodo verba Fulberti hoc pacto satis commode exponi possint; nimium est, affirmate scribere, Virum Sanctum docere, Joachimi, & Anna nomina non esse vera, ac propria Parentum Virginis; sed accepta solum ex quadam Hebraica Etymologia congruentia. Ubi enim Fulbertus, aut quibus argumentis hoc docet? vel quam tandem hac de re disputationem instituit? Paucissimis illis verbis nihil assertit, quod Ecclesiae confessioni vel minimum adverteretur, quodque cum ea non aptissime concilietur. Qui sit ergo, ut Auctor suam opinionem in illis adspiciat, eaque propterea ad illam accommodet, invertatque? Nihil mirum. Nam, & fabularum Artifices ea quoque inveniunt, quae nusquam omnino sunt.

... Poeta tabulas quum cepit sibi,
Querit, quod nusquam est gentium, reperit
tamen (a).

Credunt enim plerique illud tandem se videre, quod anxie diu quaerunt, suis utique cogitationibus falsi. An ullus est locus haeresibus in Sacris Litteris? Nemo tamen haereticorum in illis non videt suorum errorum monstra: Sed quia eas secundum suum sensum legunt, profecto in illis nec aperta conspiciuntur (b).

XLVIII. Jam si alterum hac ipsa de re Fulberti sermone attendamus (sive fragmentum illud sit, vel integer sermo) haecenus dicta multo etiam probabiliora videri poterunt. Haec enim ibi leguntur: *Nata est autem (B. Virgo) juxta relationes, & Scripturas SS. Patrum, in Civitate Nazareth, Patre nomine Joachim; Matre vero Anna nomine, oriunda ex Civitate Bethleem.* Neque vero me latet, huic sermone ab aliquibus affigi censuram illam, quod *Fere ad verbum habeatur in Tractatu de Nativitate B. Mariae, Hieronymo porro attributo.* Ad id rei nostrae nihil incommodat: neque enim nunc aliud quaeritur, quam quae de his Nominibus re ipsa fuerit Fulberti sententia; unde vero, aut quibus e monumentis hunc Sermonem confecerit, non multum interest. Quamquam & hoc ipsum, si probe video, non leve est argumentum in nostris Criticis. Ita namque Fulbertus Apocrypho illo usus est, ut quaecumque in eo, quod Apocryphum fatis novebat, minus verosimilia, vel etiam plane conficta merito censeri possunt, caute amputaverit, atque ea solum deprompserit, quae vel constanti Traditione, vel Scripturis probabilibus innituntur.

XLIX. Quod porro ad Auctorem attinet, libenter ex eo scirem, quo fere tempore concipiat, Ecclesiam Nomina haec Deiparae Genitoribus imposuisse? Oportet enim, si modo probabiles haberi volumus, conjecturas nostras commodis observationibus illustrare, nec illas in medium quasi projicere, jejunas, ac desitutas. Num igitur Augustini, atque Hieronymi? At hi Patres, vel ipso disceptante, hujusmodi Nomina vel impugnarunt, vel ignorarunt; quod tamen verosimilius non evenisset, si jam tum ea de re suam Ecclesiam sententiam aperuisset. An post hos Patres? Fortasse ita consequens esset, nisi jamdiu ante ipsos & audita, & recepta, atque a multis etiam celebrata fuissent. Num etate Epiphaniae, paulo

ante Hieronymum? Sed enim Historia illa Mariae, illaque Traditiones, quarum meminit Epiphanius, ipsius tempora procul dubio, & quidem longe anteverunt. Quid multa? Quum ex spuris, & apocryphis Nomina haec eruta, contenta Auctor, quorsum nunc, aut qui congruenter, Ecclesiae veluti eadem fidentis, atque imponendis, placita comminiscitur?

L. Postremo, quum ipse nequaquam probet, nec profus male, Facta vetustissima propugnari recentium Scriptorum auctoritate; qui sibi jam satis constat, rem adeo antiquam, Fulberti testimonio (detur hoc ipsi) unius scilicet, ac recentis, verosimiliter confectam velle? Atque id eo magis, quod jam inde a primis Ecclesiae seculis Catholici, Haeretici, Hebraei Traditionem eam probaverint, qua ad nos usque perlatum est, Virginis Parentes veris, propriisque Nominibus, Joachim, & Annam vocatos fuisse. Quid jam, si quis in Auctorem errorem illum intorqueat (Dialecticum nempe) quem ipse aliquando Annualium Parenti vehementer exprobrat? Equae Dialectice leges habent, ut quae fieri potuisse, nihilque repugnare probata sunt, facta illico colligantur [c]? Nihil sit impedimento, quominus verum esse possit, Ecclesiam ea Nomina imposuisse Deiparae Genitoribus; idoneum verum erit, aut verosimile, praeterquam quum tot obstant hujusmodi suspicionibus? Valeat igitur Auctor cum suis conjecturis. Ei namque fidem ullam tribuere quis aequum duxerit, quum ipse Antiquitati, Universitati, Confessionis hac in re credere, inaptum reputet? Ac de Sacris hisce Nominibus haecenus disceruisse sufficiat.

DISSERTATIO III.

An dubia, vel etiam commentitia sit piorum
Parentum sterilitas, & miraculo
ipsi concessa fecunditas?

I. Solent recentes Critici, ubi primum facti alicujus piam Fidem adgrediuntur convelle-re, itatim eam & vulgi opinionem, & Imperiorum credulitatem insolentius appellare. Callide id quidem, & ad quam rem agant percommode: ita enim brevi nulloque negotio, ab ea vel ample-xanda, vel propugnanda deterret quotquot sane jam eruditi videri volunt: illud quippe frequenter istis in ore est, tamquam litteratorum tessera,

... Quid... oportet
Nos facere a vulgo longe, lateque remotos?
[d]

Quid jam igitur? An Fidelium vulgus ridendum semper? An semper clericis vexandum, ac traducendum? Si ita oportere ab nostris decernatur, propterea quod paucorum sit veritas, nec nisi Litteratorum; mirum, si Fides catholica, ipsaque adeo tota res Christiana, pro sui dignitate satis commode defendi possit. En clamat Julianus, Dogma exempli causa, de Originis culpa, futile vulgi commentum esse; invehiturque in Augustinum, quod sibi ea de re altius differenti, *Populi murmur* objiciat (e). Nec id vero Augustinus dissimulat, quin statim vertit in haeretici perulantiam, *quasi parva sit*, inquit, *ejus adversario, quod... ipsa toto Orbe diffusa, non a se discrepat multitudo.* Clamat Adversarius legis, & Prophetarum, vel eo doctrinae suae praesentiam di-

dilucide comprobari, quod eam non multi fecerunt: Quia paucorum est Sapientia. Et huic impio quid Sanctus Doctor? Id, inquit, omnibus haereticis adversariis Ecclesiae Catholicae, quae per omnes terras copiosa fertilitate diffunditur, in sua cuique propria unitate commune est: Omnes enim de paucitate gloriantur (a). An manus dat Augustinus, eam fidem, hoc est, suam, vulgi esse non abnuens? Quid plura? nonne procacissimus Celsus, ut Christianam Fidem catholicis despectam faceret, in eam ut vulgare omnino, atque Eruditis indignam, impie debacchabatur? Ejus dicta refert Origenes: *Sit Celsus, praecipua esse nostrorum hominum: Nemo accedat eruditus, nemo sapiens, nemo prudens: arcemus enim tales. Sed si quis est indoctus, insipiens, insans, fidenter veniat.* Hoc patet, inquit, satis apparet, quod solus fatuos, ignavos & stultos, mancipia, mulierculas, pueros capient, ac pelliciant (b).

II. At haec, inquit, & alia hujusmodi, sive Haereticorum, sive Gentilium, convicia sunt, mendacaeque vexationes. Nec enim solius vulgi, atque indocti homines Christi Fidem, & Ecclesiae dogmata profitentur; sed Viri etiam Sapientissimi, atque in omni doctrina veratissimi. Quid tum porro? An inter eos, qui plurimum factorum piam Fidem retinent, ac defendunt, nemo est plane doctus, eruditus, sapiens? Ita quidem Auctori nostro videtur; nisi & illos referre velit in suorum Litteraturam Album, quos *Fabularum suadissimos, atque Inconsulte pios*, millies proclamant. At hoc ipsum videbatur nostrorum dogmatum hostibus, a quibus, ut Pelagii exemplo utar, Catholici Scriptores Imperitissimi hominum habebantur [c], clamabatque Julianus, *commode nobiscum ageretur, si aut apud eruditos Judices negotium veritatis tueri daretur facultas; aut quia hoc interim negatur, vel nullo Imperitorum obverberamur tumultu [d].* Itaque rem Catholicam ad solos ineruditos, ac vulgi homines redigebant, seque duntaxat, ac suos, doctissimos, ac litteratissimos praedicabant. Quid hinc vero conficimus? Ut Catholica dogmata non solius vulgi sunt, tamen id Haeretici, errantes perverse, ac mentientes spargunt; ita nec pia Fides ad solos vulgi homines pertinet, quamquam id novi Critici minus sobrie (ne quid dicam gravius) confirmare non dubitent. Nam si *adversarios eos flagitant, quorum aliquid etiam litterarum inveniri potest, illustrisque doctrina est; en adeo adversariorum ejus memorabilis, & venerabilis confessus, atque consensus [e];* quem profecto, & supra dedimus. & pro rerum opportunitate postmodum exhibebimus.

III. Ergo noster Auctor probe callens illud Tullii: *Qui semel verewardia fines tranterit, eum bene, & naviter oportet esse impudentem*, semen initum consilium de his obturbandis, strenue persequens, alteram, & eam quidem valde celebrem, de piis Parentibus Ecclesiae Traditionem, iidem sermo modis conatur evertere. Joachim, & Annam jamdiu invisa sterilitatis molestiam passos, tandem miraculo fecunditate donatos, prolem optinam, ipsam nempe Deiparam, suscepisse, pia Christianorum Fides jam inde a primis Ecclesiae Saeculis, nemine contradicente, retinuit. Auctori ingenio utpote pereleganti, reconditisque atque exquisitis eruditionibus adueto, popularis haec pietas, ac vulgi, ut illi statim videntur, quicquid, sepe risum, aliquando etiam bilem, nec levem, commovet. Quamobrem ex puris, atque sinceris, ab se consultis, Christianae

Serry Tom. III.

eruditionis fontibus, adversus eam in hunc modum orditur.

IV. Incerta perinde, dubiaque est piorum Parentum sterilitas, conceptio voto, ac singulari portento depulsa, ut esset proprus etate Mariam gignerent. Mariae quippe Virgini Sororem fuisse Mariam Cleophae, verosimilimum est: tum quod id Evangelico Textui congruat magis Joannis 19. v. 25., diserte pronuncianti: *Soror Maris Jesu Maria Cleophae*; tum quod haec ipsa Evangelica verba simplici, strictoque sensu plerique Patres, & Scripturarum Interpretes acceperint, Mariam Cleophae vere, propriaque Sororem Deiparae, & Christi Domini Materem adserentes, illorumque Discipulorum Matrem, qui iccirco Fratres Domini, seu Consobrini, in Evangelio nuncupantur. Ita D. Hieronymus Epistol. 150. quast. 4. lib. contra Helvid. cap. 7. & in comment. ad cap. 27. Matth., Theodoretus in cap. 1. epistol. ad Galatas, S. Petrus Chrysolog. Serm. 48. & 49., Beda in cap. 3. Marci, Maldonatus in cap. 12. Matth. v. 46. Possesimus in Apparatu, alii que nonnulli. Ex quo porro Mariae Virgini vera, propriaque Soror fuisse ponitur, isdem scilicet orta Parentibus, commenticia plane est, quae vulgo jactatur piorum Parentum sterilitas, singulari portento depulsa, ut asserta proprus etate Deiparam gignerent: aut enim Deiparae Sororem genuerant antea, adeoque steriles in hanc diem minime fuerant; aut post editam Deiparam genuerunt; adeoque effata non erat illorum etas, quae non nisi miraculo filiorum generationi vacare potest.

V. Incerta primum, ac dubia piorum Parentum sterilitas visa fuerat Auctori nostro. Verumtamen re maturius, ut fit inter scribendum, animadvertens, usum se censura levissima intellexit. Quapropter ad asperiora conversus, illam vulgo jactatam, ac plane commenticiam, affirmate pronunciat. At quibus tandem argumentis? Nimirum quod B. Virgini altera fuerit Soror, proprio, ac stricto sensu. Hac una sola ratione fretus, acerbe adeo in communem sententiam invehitur: nec enim praeter hanc, aliud quidpiam profert, quod ad rem faciat, prolaturus utique, si de hoc facto sibi sedulo perquirenti, operato occurreret. Quamquam non deerunt, quibus verosimile valde sit, ipsum in his congerendis, non multum Librorum, ac lectionis adhibuisse, cui sat abunde esse potuit unicus Tillemontius. Ut vero id se habet, quandoquidem ipse ea sola utitur ratione, nos ut commode, quoad fieri potest, rem totam enucleemus, primo illud examinabimus: Fuerit, necne, Deiparae altera Soror, proprio ac stricto sensu? Deinde; an hoc etiam ultro concessio, piorum Parentum sterilitas apte defendi possit?

VI. Invaluit a nono circiter saeculo credulitas illa, quod Annae tres viri fuerint, Joachim, Cleophas, Salome; atque ex Joachimo Deiparam; ex Cleopha Mariam Jacobi, quae & Cleophae; ex Salome Mariam Zebedaei nuptam peperisse. habuitque opinio haec Auctores, & comprobatores Strabonem Fuldentem, Haymonem Alberstentem, Auctorem Adnotat. in Epistol. Pauli, Hugoni a S. Victore attributarum, Gersonem, aliosque non paucos; quorum Scriptis, concionibus, atque Auctoritate non facile contemnedam, eo tandem deventum est, ut neglecta accuratiori inquisitione, in eam plerique multi concesserint. Nempe, illud ipsum plane D. Annae in saeculis postremis accidit, quod Sanctissimo Patriarchae Josepho in primis evenerat. Ut enim absque ullo

Ppp 2 histo.

(a) Plant. in Pseudolo. (b) August. lib. de Grat. Christi. cap. 42. (c) Exerc. 18. num. ult. (d) Horat. lib. 1. e. 7. m. (e) Lib. 1. contra Julian. c. 7. n. 31. & 32.

(a) Lib. 2. num. 41. (b) Lib. 3. in eundem pag. 691. (c) August. lib. de Grat. Christi. cap. 6. (d) Lib. 2. Op. Imperf. cap. 1. (e) Lib. 1. contra Julian. cap. 7. n. 32.